Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1613
Quelle:
Copyright:

tur animo, velit se ipsum agnoscere et passiones suas vtcumque contra me temperare. Promissum enim sibi ab illo fuisse *in loco sacramenti, quod si talia wyglepb scriberet, nollem, inquit, sibi credere tanquam mendaci et dyabolo.* Initium est hujusmodi: *Gratia omnipotentis induere vitam christi et mandata eius iugiter adimplere. Quia virorum sapientum et constancium semper fuit* &c. Ad calcem: *Scriptum in Strziebro per M. Johannem de przibram.* Itaque in patria *Jacobelli*, qui fortassis ille *Johannis* Adversarius fuerit; non enim *Petrus Payne*, quem in ipso Scripto tanquam *Wiclefo* consonum citat. Scriptum anno circiter 1427. adfigi poterit, quo tempore *Przibramius* a variis erroribus jam redierat.

XLI. *fol.* 232. *Collacio cujusdam.* Habita, ut videtur, *Pragae* in Actu quodam Academico in illud *Luc.* ult. *Duo ex discipulis ibesu ibant* &c. unde Autor opportunitatem arripit differendi *de conferentibus et nocentibus regno et vniuersitati hominum*, immixtis etiam versiculis; parum tamen ad rem. Ita queritur de iis, qui conferre putant, *vt audiant vsque meridiem confessiones et iurgia vetularum*, et dum de nocentibus agit, meminit *martirum, quorum nec peruetusta est memoria videlicet Magistrorum Jo. H. et Jeronimi de praga, quos nil aliud in odium publicum traxit, nisi aduersus hos conflictum mendacium* &c.

XLII. *fol.* 237. Ejusdem Dissertatoris *Collacio de duabus communitatibus vna pragensi et alia taboriensi.* Alloquitur hic *Reuerendos patres, amabiles fratres, Socios caros et si qui aduenere inclitos puerulos*, aitque *de conferentibus et nocentibus locutum semel, locutum et altera vice.* Communitates illi sunt: *vna pragensium sub nomine Jerusalem pacifice significata, pacem querens pacem postulans pro pace se et sua in omnem euentum sicud cernitis exponens. — Altera uero thaboritarum ymo verius dyabolitarum sub nomine babilonis confuse turbide et prope mortem distrafiate* (sic) *dampnabiliter figurata.*

XLIII. *fol.* 244. Adlocutio *de Officio Archidiaconi* habita ad *Decanos, Plebanos, Capellanos et Rectores Ecclesiarum* a quodam, qui ait: *se electione institutione confirmatione et quauis dispositione venerabilis Capituli et Administratorum Ecclesie Pragensis — in Archidiaconum et prelatum sublimatum.* E locis Jur. Can. compilata post an. 1421. quo *Administratores* coepere.

XLIV. *fol.* 246. Dissertatio de Jure Canonico hoc initio: *Sicut liberalium arcium disciplina suorum elementorum traditionem desiderat, ita Jurispericia canonumque scientia suarum institutionum insinuationem appetit et affectat* &c. Agitur potissimum de diversis ejus Collectionibus.

Codicem non parum laboris exhibentem praeit membrana Sec. XIV. exhibens p. 1. *Versus* 33. e